ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

# IO. CAR. LUD. GIESELER D.

CUM SENATU

SUCCESSOREM

IN

SUMMO MAGISTRATU ACADEMICO

# FRIDER. BERGMANN D.

CIVIBUS SUIS

HONORIS ET OFFICII CAUSSA

COMMENDAT.

---

Inest:

FLAVII SOSIPATRI CHARISII

de

VERSU SATURNIO

commentariolus ex codice Neapolitano nunc primum editus.

---

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

MDCCCXLI.

Frid. Ofanno suo
F. Schneidewin.

**M**agistratus Academicus per tres integros annos continuatus cum feliciter sit ad exitum perductus, electus suffragiis collegarum, quae illustrissimi Academiae Curatores rata esse voluerunt, idem munus in proximos sex menses sustinebit Vir Consultissimus idemque collega coniunctissimus

# FRIDER. BERGMANN D.

Cuius viri eximiam comitatem singularemque benevolentiam, qua commodis Vestris prospecturum esse Vobis persuadebitis, Commilitones, acerrimo omnium bonarum artium studio cum morum honestate et legum reverentia coniuncto remunerari connitamini. Hoc Vobis, hoc Vestris, hoc patriae, hoc denique almae huic Academiae Georgiae Augustae Vos debere mementote.

---

Rara felicitate huic saeculo contigit, ut in patria nostra duo existerent docti homines, qui principum antiquitatis populorum historiam cum ex ipsis fontibus novo ingenii acumine acerrimaque mentis intentione exploratis eruerent, tum eximio rerum iudicio enarrata clariore luce illustrarent, B. G. NIEBUHRIUS et C. O. MUELLERUS. Quorum duumvirum opera consensu omnium hoc effectum est, ut de antiquioribus potissimum utriusque populi rebus gestis, institutis civilibus, sacris, bellicis deque artium litterarumque incrementis longe rectius sentire didicerimus. Alter Romanam historiam luculentissimis voluminibus explicavit, sed magno bonarum litterarum detrimento vix ultra dimidium propositi operis progredi fata sivere: alter, quo Academia nostra admodum nuper singulari ornamento gloriabatur, omnem studiorum rationem eo revocarat, ut tandem aliquando historiam Graecorum populorum haberemus, dignam hac luce litterarum, dignam Mulleriani nominis splen-

dore. Nos vero quod sacratissimam immortalium virorum memoriam per hanc scribendi occasionem pio animo recolimus, id licet forte casuque invitati fecisse videamur, neminem fugit, quam arto internae affinitatis vinculo ingenium studiaque ipsorum fuerint coniugata. Etenim natura utrumque finxerat historicum, utrumque philologum. In utroque genere eruditionis ita excelluit uterque eaque opera condidit, ut, prout huc vel illuc oculos converteris, haesites, excellentissimosne potius historicos, an summos philologos appellandos censeas. Nimirum ita se res habet, ut qui ad historiam antiquorum populorum investigandam animum appulerit, eum oporteat bonum philologum esse; rursus ut is, qui philologi voluerit nomen mereri, historico certe, quem dicimus, sensu praeditus esse debeat. Illud autem eorum tantum est, qui naturam fautricem nacti ad ingenii praestantiam indefessi studii perpetuitatem adiungunt, ut pariter in utroque magno cum fructu elaborent. Verum in quem tandem id magis cadere arbitrabimur, quam in laudatissimos duumviros? Nam ut summam studiorum ad historiam scribendam contulerant, ita iidem, quasi hoc agerent, in scriptoribus veteribus emaculandis litterarumque apicibus curiose rimandis operam studiumque haud segne collocare non erubuerunt. Criticae autem artis officia cum sint varia et in multas partes diffusa, Niebuhrius et Muellerus in id potissimum incubuere, quod cum historico studio coniunctum scriptores ad fidem vetustorum codicum prudenter pensitatam exigit scrutatisque diversorum fontium origine et auctoritate fata librorum, diversa illa et varia, ad historiae normam indicat, hisque illustratis ipsam emendationem stabili fundamento superstructam aggreditur. Et Niebuhrius quidem quid in hoc genere praestiterit nemo ignorat. Idem, ut ab arte philologus, nec ad eos scriptores descendere a persona sua alienum putavit, quos vulgus tanquam capite censos et gregarios fastidit, Grammaticos dicimus. Odofredus autem Muellerus noster quid divino ingenio suo etiam in critico genere efficere posset, manifestaverunt duo maxime opera veterum Grammaticorum a se instaurata, M. Ter. Varronis et Sex. Pomp. Festi. Ex quibus solis ut Muelleriani ingenii praestantia censenda esset, tamen in summorum omnis aevi philologorum numerum asciscendum fuisse cum affirmamus, non veremur, ne id iactantius quam latine dixisse videamur. Nunc quantula ista pars eorum, quibus ad antiquitatem altius penetrandam facem praetulit! Quam ille, si vita suppetiisset, reliquis omnibus vel egregiis scriptis suis absoluto primario opere, quod moliebatur, tenebras inducturus erat! —

Sed dicendum est, cur a Niebuhrii Muellerique virtutibus praedicandis

hanc scriptionem ingressi simus. Namque Niebuhrius cum ineunte aestate anni MDCCCXXIII. Roma Neapolin excurrisset, nihil antiquius habuit, quam ut codicem *Flavii Sosipatri Charisii*, qui unus calamitosam bonorum librorum stragem elapsus ex bibliotheca Iani Parrhasii, docti Neapolitani, in bibliothecam regiam Borbonicam illatus est, accuratissime cum exemplo Putschiano conferret. Cuius laboris fructus non in eo solum constitit, ut Niebuhrius innumeros priorum editorum errores aperiret veterumque scriptorum maxime qui a Charisio citantur fragmenta emacularet, sed ab omnibus spretum caput ineditum quod erat *de versu Saturnio* primus repperit. Apposuimus ipsius verba quae sunt in litteris ad Hensleram suam, ornatissimam feminam, scriptis Neapoli die XXIX. mensis Aprilis MDCCCXXIII; vide aureum epistolarum thesaurum T. II, p. 510. "Meine Arbeit hat mir sehr schöne Resultate gegeben: der verglichene Schriftsteller ist der Grammatiker Charisius. Ich habe unzählige Stellen und namentlich die bei ihm erhaltenen Fragmente alter Schriftsteller berichtigt und unter andern ein ungedrucktes Capitel entdeckt, welches über den Saturnischen Vers handelt, Fragmente aus sehr alten lateinischen Dichtern enthält und, was für mich die Hauptsache ist, meine Meinung über diesen Vers ganz ausdrücklich beweist. Die Mühe ist also nichts weniger als verschwendet." Id εὕρημα editurus erat vir magnus. Significavit Hist. Rom. I, p. 275. not. 687. edit. quartae, his verbis: "Die Darstellung des Wesens der altrömischen Versarten, als lyrischer und höchst mannichfaltiger, bis in die Mitte des VII. Jahrhunderts der Stadt gebrauchter, und sehr ausgebildeter Numeri, bleibt vorbehalten, bis ich ein die Sache entscheidendes Capitel eines alten Grammatikers, über den versus Saturnius, herausgeben werde." Quibus promissis quominus staret morte praepeditus est. Sed pervaserat fama, quae Niebuhrius collegisset, ea omnia F r i d. L i n d e m a n n o tradita esse, quibus in adornando Corpore Grammaticorum Latinorum uteretur. Igitur cum anno superiore Charisius Lindemanni Lipsiae prodisset, ubi is primum in manus nostras venit, illud de versu Saturnio caput sollicite circumspiciebamus. Nusquam reperto in Lindemanni Praefatione p. XI. non sine dolore legimus, schedulam singularem, in qua istud scriptum fuerit, cum collatione editi operis a C l a s s e n i o transmissa ad se non pervenisse eamque fortasse illo incendio, quo paullo ante Niebuhrii obitum domus eius conflagravit, haustam esse. Nec Iannellium, bibliothecae Borbonicae praefectum, id damnum resarcire propter aetatis imbecillitatem potuisse nec quenquam praeterea Neapoli versari, cui eae partes cum fide possent demandari.

Hac spe depulsi illico C. O. Muellerum nostrum, tunc Roma Neapolin profecturum rogabamus, ut si non molestum esset illum thesaurum recluderet eiusque usum nobis impertiret. Nec mora. Die IV. mensis Februarii proxime superioris anni una cum amantissimis litteris quod optaveramus recepimus. Quod igitur Niebuhrius vel facere fato praeventus non potuit, vel, si fas est dicere, propter abnormem rei difficultatem facere tergiversatus est, id cum nos ausi sumus, facile in reprehensionem hominum incurrere poterimus. Nos vero Muelleri apographo conspecto et repetitis vicibus perlustrato ita de iusta explicatione memorabilis loci desperabamus, ut ad hunc diem in scriniis nostris retinuerimus. Nunc, si quis in pertractanda difficillima quaestione nos identidem lapsos esse viderit, ne imprudentiam nostram acerbius carpat, hoc eum reputare iubemus, nos hoc scribendi munus praeter expectationem iniunctum vel propterea non detrectasse, ut Muelleri memoriam cum Niebuhrii coniunctam commode celebraremus. Nam contra religionem facturi videbamur, si Eius nomen inornatum sileremus, qui, dum in vivis esset, hoc idem munus scribendi magna cum laude semper obisset. Hic igitur libellus professione pietatis vel laudatus erit vel excusatus. Εἷς ἀνήρ, ut est in proverbio, οὐ πάνθ' ὁρᾷ, nec unquam est iure reprehensus, qui ad spicilegium quid reliquerit vel de eo quod verum est, in his praesertim tenebris, saepius declinaverit.

Verba scriptoris ipsa lapidi incisa exhibuimus. Etenim his ipsis diebus Muelleri ephemerides Roma allatae sunt. In quibus cum vir praestantissimus codicis ipsius condicionem litterarumque ductus accuratius, quam in apographo nostro, consignasset, par videbatur et consentaneum, oculis philologorum religiose assimilatos proponere. Sic et quam arduus describendi fuerit labor, et nostrae explanandi partes quam sint in lubrico, optime aestimabitur.

Volumus autem primum de codice ipso paullo accuratius dicere. Id enim a Lindemanno neglectum non est a caussa nostra alienum, unde clarescat, cur qui eundem Charisii codicem manibus versaverunt, hoc caput praetermiserint ad unum omnes. Descripsit codicem Cataldus Iannellius in *Catalogo Bibliothecae Latinae veteris et classicae manuscriptae, quae in Regio Neapolitano Museo Borbonico adservatur, Neapoli MDCCCXXVII.* p. 5. nr. VIII. Nos potiora delibamus. "Codex membranaceus in folio lato, seu forma ferme quadrata, binasque versuum columnas in singulis paginis habens. Scriptura cursivae illi et curiali, quam vocant, quaeque in Papyris diplomaticis superest, etsi clarior et distinctior, propior tamen est et similior, quam rotundae illi et amplae, quae in membranis

antiquis conspicitur. Codicem scriptum putares Saeculo VII. vel VIII. Vetustiores tamen ipsas paginas dices, quum plures rescriptae sint, et vestigia adhuc maneant tum uncialis et maximae, tum minoris et rotundae veteris Romanae scripturae: quam tamen tanta cura librarius abrasit, ut praesenti intacta, quae olim scripta fuissent, satis difficile sit extundere et plane nosse. Chartae iam aevo subflavae et nigrescentes, quin in fragmenta et lacinias quadam ex parte delapsae." (Scriptura, quam Niebuhrius *anglosaxonicam* appellat, magnam habet similitudinem cum codice Vindobonensi CCCXXII, olim Bobiensi, cuius specimen adiunxit Maur. Hauptius editioni suae Ovidii Halieuticon.) Insunt autem in hoc codice primum libri Charisii a primo ad finem quarti, vide Lindemanni edit. p. 169. Deinde teste Iannellio (nr. 2. ad 9.) Lexica quaedam *) et Servii Honorati Centimetrum excipit Charisii

*) Veremur, ne quaedam ex iis a Charisii opere praepostere avulsa sint. Veluti quae sub nr. 5. 6. 7. commemoravit Iannellius. Quintum opusculum sic incipit: *Idiomata nominativa, quae per genera efferuntur, quae et ipsa ordine exponemus, quae apud Latinos masculina, apud Graecos faeminina sunt.* Sextum enumerat nomina, *quae apud Latinos masculini, apud Graecos neutrius sunt generis.* Septimum ea, *quae apud Latinos neutrius, apud Graecos faeminini sunt generis.* Cum his compone ea verba, quae sunt in eodice subscripta libro quinto p. 176. Lindem. *Item sunt idiomata nomina* (scr. *nominativa*), *quae per genera efferuntur diversa, id est, apud Graecos alterius sunt generis, et alterius apud Latinos, quae sunt satis pauca, et per alphabeti ordinem digesta, quae nos quasi non necessaria non praetermisisse lector agnoscat, sed in alio loco, eo quo digesta sunt ordine, a nobis transcripta reperiet.* Haec non Charisii, sed librarii esse verba acute perspexit Fr. Osannus in disputatione *de aetate Charisii*, vid. Symboll. Hist. Litt. Graecc. et Romanorr. II, p. 323. Quis iam dubitabit, quin recte ista a Iannellio designata ad ipsum Grammaticum nostrum auctorem referenda credamus? Quid, quod illa ipsa, quae index Charisii sub exitum libri V. promittit *Glossemata idem significantia* in eodem codice extant, deturbata sede sua? Etenim nr. 2. commemorat Iannellius: *Incipiunt glossulae multifariae idem significantes.* Quae autem index in ipso fine habet: *De differentiis*, ea ad lexica illa spectare patet. Est alius codex in eadem bibliotheca, apud Iannellium p. 9 sq. descriptus, saeculi XV. vel XVI. In quo sub nr. 7. extant *Idiomata nominativa, quae per genera efferuntur, quae et ipsa ordine apponemus, quae apud Latinos masculina, apud Graecos faeminina sunt*, usque ad verba *Thorus* ἡ στρωμνή. — Haec ex Charisiano codice sumpta esse in aperto est. Iam vero Charisiana illa cognoscere licet ex Incerti Artt. Gramm. fragmento, quod Eichenfeld. et Endlicher. ediderunt Anall. Gramm. p. 103 sqq. Quae iam Osanno *ex perdita parte* Charisiani excerpta videbantur. Recte illud: modo

liber quintus, cui titulus: *Incipit liber V. de idiomatibus.* Statim post haec litteris minutioribus scriptum est: *Incipiunt Plinii secundi differentiae verborum et nominum;* tum reliqua pars columnae vacua relicta, v. Lindemann. p. 176. Deinde nr. 14. Cornelii Frontonis libellus de differentiis vocabulorum, usque ad verba *honoratum est*, v. Putschium p. 2191 ad 2204. Post haec nr. 15. demum extant ea quae versantur in quaestione. De quibus haec Iannellius: "Libellus *de Metris* duas quidem paginas integras, sive quatuor columnas, et ut videtur, plures olim complectens, modo duarum paginarum interiores duas tantum columnas exhibens, reliquis in lacinias aevo dilapsis. Praefixa haec verba: *Liber Sancti Columbani.* Incertum, an S. Columbanus opusculi auctor indicetur, an aliquod S. Columbani Coenobium, ad quod liber spectasset. Equidem priori opinioni faverem, tum quia S. Columbanus plura carmina scripsit, inque humanioribus litteris, pro ea temporum conditione, non mediocriter versatus fuit; tum, quia verba, ut sonant, satius istam, quam alteram sententiam exhibent, tum denique, quod libri possessio loco plane inopportuno indicaretur. Sed haec videant, quibus vacat et lubet. Auctor quisquis ille sit, ab Saturnio versu opusculum suum adgreditur." Postea sequitur Frontoniani libelli altera pars a p. 2204 ad p. 2214. Putsch. "Quae quasi discerptio — verba sunt Iannellii — et laceratio libelli, non scriptoris librarii culpa est facta, sed librarii compactoris, qui membranas aversas non adversas inscite collocavit."

Qui hanc codicis condicionem consideraverit, desinet mirari, cur nec Io. Pierius Cyminius Cosentinus, qui primus Charisium edidit, nec quisquam post eum caput illud *de metris* cura sua dignatus sit. Nam aut folia ista foede mulcata ab extricandis obscurioribus litterarum ductibus absterrebant — et codicem iam Cyminii aetate mutilatum fuisse ipsius diserto testimonio docemur *) —, aut,

---

teneamus, non esse illam partem *perditam*, sed in codice sinistre disiectam. Ipsum illud *thorus*, quod teste Iannellio in Neapolitano codice ea claudit quae apud Latinos masculina, apud Graecos feminina sunt, in eorundem numero extat ap. Endlicher. p. 104, nisi quod vox Graeca, ut saepe alias, excidit. Et capita illa Incerti ab 160 usque ad 166. ex Charisio descripta esse eo affirmatius contendimus, cum et ipsa ex codice olim Bobiensi, saec. VII. vel VIII. charactere langobardico scripto, ediderint Vindobonenses. Specimen eius codicis ad calcem Analectorum additum cum Charisiani codicis scriptura mire concordat.

*) Quotquot in bibliothecis apographa Charisii latent, certum est ex eodem fonte

eaque verior videtur caussa, in eundem illi errorem inciderunt quem Iannellius, ut nomen Sancti Columbani summo folio perscriptum in eam partem acciperent, ei ut opusculum illud vindicandum nec quicquam cum Charisio commune habere iudicarent. Cui sententiae praeter Iannellium defensorem exortum esse Muellerus nos docuit Angelum Antonium Scottum, Neapolitanum, qui ediderit libellum sic inscriptum: *Memoria sopra un codice Palimpsesto della Real Bibliotheca Borbonica.* Istam vero inscriptionem aliorsum spectare et Iannellio subolnit nec praeteriit Niebuhrium. Nam quod Iannellius verba ipsa priori sententiae, quae Sanctum Columbanum auctorem facit, favere opinabatur, id contra est. Nemo enim unquam vel scriptor vel librarius auctoris significationem eo modo extulit; possessorum ita solent. Non urgebimus, quam sit incredibile, sanctum hominem tam reconditae eruditionis plenum de versu abstruso commentariolum scribere vel potuisse vel voluisse. Hoc igitur tenebimus, fuisse codicem coenobii alicuius Sancti Columbani. Nec id longe quaerendum. Quid enim obstat, quominus de famigeratissimo illo Bobiensi cogitemus? Cuius cunctos paene codices ostendere hanc inscriptionem *Liber S. Columbani de Bobio* vetusta manu allitam testes habemus cum alios tum A. Maium Praefatione Ciceron. de Rep. p. XLII. Moser. Nec id explicatione caret, quod loco non suo verba ista ascripta sunt. Denique omnem de Charisio auctore dubitationem eximit accurata computatio Niebuhrii, qui in litteris ad Lindemannum datis Bonna die XXIV. mensis Augusti MDCCCXXVII. haec disseruit, vid. Lindemanni Praefat. p. XI. "Es sind vorhanden der erste bis dritte Quaternio, worauf die drei ersten Bücher und das vierte soweit es in den Ausgaben steht. Der Titel *de lectione* steht, als custos, unten auf der letzten Seite des dritten Quaternio. Vom vierten Quaternio sind zwei Doppelblätter

---

derivata esse. Duo memorat Iannellius p. 9., insignita numeris IX et X. Alterum teste Iannellio praeter libros Charisii continet in fine "*adnotata quaedam de Saturnio versu, et de Rhythmo, et de Metro: pauca tamen, utpote quae vix duabus nec integris paginis contineantur, et plurimis lacunis hiantia et manca. Auctor incompertus, eumque adhuc in ipsa Putschii Sylloge offendere non datum.*" Non vidisse Iannellium, fragmenta illa esse Charisiani operis! Nos si de hoc codice iam eo tempore certiores facti fuissemus, cum ad Muellerum scripsimus, ut hoc quoque apographum saeculi XV. exploraret, rogassemus. Nunc Avellinium hoc officium bonarum litterarum caussa suscepturum confidimus. Ceterum librarius cum Sancti Columbani mentionem fecerit nullam, quid de verbis illis veteris libri statuerit manifestum est.

erhalten, entweder das zweite und dritte, oder das dritte und vierte Paar eines Quaternio: nämlich das äusserste Paar (Blatt 1 und 8) fehlt gewiss: ob aber Blatt 2 und 7 fehlt, oder 4 und 5, wage ich nicht zu entscheiden. Es fehlt also alles, was Sie im Inhaltsverzeichniss des fünften Buchs bei Putschius bis auf das Capitel *de versibus* finden, wovon der Schluss erhalten ist. Das Folgende *de metris* würde vollständiger sein, wenn nicht die eine Hälfte des Blattes, i. e. eine Columne, abgerissen wäre. Das Capitel *de differentiis* sollte auf das *de idiomatibus* folgen, womit V. anfängt."

Iam tria nobis obsistunt, quae nisi remota fuerint antea, facilem cursum videntur turbare posse. Nempe negotium statim illud facessiverit, quid sit, quod Charisius videatur a versu Saturnio profectus esse; deinde quid sibi velint verba ista, quae apographum Muelleri subscripta ostendit, *De Rythmo et metro*. Has quidem dubitationes facile componas. Ex ipsis enim iis quae Grammaticus de versu Saturnio disserit, certissimum est, alia huius capitis, quod erat *de Metris*, vel vetustate absumpta esse vel bibliopegi culpa amissa. Illa autem verba non alium in finem fuisse videntur addita, quam ut custodum loco essent. Eandem ob caussam in ultima pagina quaternionis tertii *de Lectione* ascriptum esse testatur Niebuhrius. Nimirum qui iam de versu Saturnio aliisque metris exposuisset, fatuus fuisset, si tum demum ad rhythmi metrique explicationem delaberetur. Tertium quaerat quispiam, cur in schedis Muelleri non compareat fragmentum illud *de versibus*, quod vidit Niebuhrius. Hoc non descripsit Muellerus, vel quod in solo versu Saturnio defixus erat vel quod id post Niebuhrium iam legi non poterat. Nam de miserabili sorte folii istius haec narrat vir praestantissimus in margine apographi nostri: "Das Blatt ist durch kleine Löcher und chemische Reagentien sehr unleserlich geworden, abgesehen von der sehr schwierigen Schrift. Darum bleiben grosse Schwierigkeiten. Ich habe die Stelle dreimal durchgearbeitet, aber nichts mehr und nichts besseres lesen können, als ich hier geschrieben." Haec Ille.

At in indice Charisiani operis haec deinceps capita recensentur: *De rhythmo. De metri versificatione. De basi. De pedibus. De versibus. De metris.* Ut custodem illum *De Rythmo et metro* his repugnare suspicere. Verum sarta tecta. Videlicet significabat librarius, folium istud — nam vix putamus quaternionem — complecti capita omnia quae fuere inter primum et ultimum *De rhythmo* et *de metris*. Profecto abutatur custode illo, si quis hinc indicis illius fidem labefactare conetur.

Nunc antequam singula verba Charisiani commentarii excutiamus, pretium est paucis admonere, quid inter Charisianam ceterorumque Grammaticorum de versu Saturnio doctrinam discriminis intercedat. Igitur reliquis Grammaticis omnibus in eo convenit, ut legitimam statuant esse Saturniorum formam hanc:

⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ – ⏑ – ⏑

Eaque doctrina post **Bentleium** Opusce. Philoll. p. 273 sq. Lips. ab **Hermanno** communita Elem. Doctr. Metr. p. 611 sqq. ab omnibus paene viris doctis propagata est. Nisi quod Muellerus et in annotatione Varronis VII, 51. p. 140. et Supplementis Ann. Festi p. 396 sqq. hanc normam ita suscepit, ut non sufficere tamen ad varietates numerorum explicandas iudicaret. *Iustam esse, modo unum observaveris ac tenueris, supprimi posse theses omnes, excepta ultima, maxime penultima.* Quod non dubitandum, quin Muellerus ita intellectum voluerit, ut theses non plane abesse posse censeret, sed maiore vi arsium defectum illarum oblitterari compensarique. Ut non magnopere discrepent ea quae **Grauertus** decrevit post **Koenii** librum de sermone Poett. Epicor. p. 254 sqq. At Charisii sapientia ab omni istius doctrinae similitudine tam remota est, ut in novam plane terram nec ullius ante tritam pede tibi subito delatus videare. Hic nobis Saturnios ingerit versus longe alios, ultra vulgarem modum ita productos, vix ut charta regia comprehendi potuisse videantur; artificiosissime ex diversorum pedum ordinibus conflatos idque a poetis lyricis et tragicis non vetustissimae memoriae. Niebuhrius autem testimonio Grammatici abusus videtur, cum hanc inde sententiam imbibit, ut istos versus pro priscis Romanis lyricis venditaret, admirabili arte variegatis atque excultis, quos usque ad medium saeculum septimum U. C. poetae Latini usurpaverint, vide Hist. Rom. I, 273. Verba ipsa supra apponebamus p. 5. A quo iudicio nostrum arbitrium longissime separamus. Etenim hoc dubio caret, singularem istam Charisii doctrinam profectam esse ab eorum versibus poetarum, qui se totos ad Graecorum imitationem contulissent. Nec quidquam ex Saturniis temporibus apud illos resedisse putes. *Laevius* enim ex Alexandrinis poetis cum argumenta carminum, si recte coniicimus, sumpsit, tum imitatus eorundem artificia metrica est. Nam quod **Hermannus** El. D. M. p. 619. apud Priscianum VII, p. 739. pro vulgari scriptura *Livius in Sereno* restituit ex codicum vestigiis *Laevius in Sirene* eique poetae hunc versum concedit Saturnium:

*Circa nunc, Laertie: vela para ire Ithacam,*

ut demus nomen poetae scite esse repositum, at quis praestabit, versum illum esse Satur-

nium et non artificiosioris metri frustulum? *Ennium* vero Saturnios versus procudisse quis sibi persuadebit? Nae is suametipse vineta cecidisset, si rudes illos numeros sibi excidere esset passus, qui quidem in Livium Naeviumque decantata illa superbius iactasset:

*Scripsere alii rem*
*Versibu' quos olim Fauni vatesque canebant,*
*Cum neque Musarum scopulos quisquam superarat,*
*Nec dicti studiosus erat . . . . . . . . .*
*Ante hunc . . . .*
*Nos ausi reserare.*

*Attius* autem, qui Ennio aetate provecto natus est, usus ille quidem est versu Saturnio vulgari, sed ut veterem morem triumphalium titulorum a maioribus sancitum servaret. Testis Schol. Bobiens. in Ciceron. or. pro Archia p. 359 Orell. *Hic Brutus Gallaecus fuit cognomento ob res in Hispania non minus strenue quam feliciter gestas. Eius etiam nomini [dicatus Attii] poetae tragici extat liber, cuius plurimos versus quos Saturnios appellaverunt, vestibulo Martis superscripsit Brutus.* Quem praeterea Saturnium versum a Varrone de L. L. VII, 28. p. 130. Mueller. sumptum ad Attium retulerunt, — de quo loco quidam deliramenta profuderunt, sed ipse Granertus l. c. p. 277. incautius indicat — is ab interpolatoribus Varroniani libri Attio assignatur praeter fidem vetustatis.

Quae cum ita sint, nos hoc intelligamus, numeros implicatiores, paene dixeris Pindaricos, eosque brevium syllabarum concursu liberioreque pedum diversorum coniugatione adeo legem carminis obvolvere visos esse, ut metrici Latini parum callidi et rei novitate in transvorsum rapti unum Saturniorum nomen ignorantiae suae suffugium arripuerint. Et sunt vestigia quaedam in reliquorum Grammaticorum de versu Saturnio disputationibus, quae possint arguere videri, non prorsus solitariam Charisii doctrinam fuisse. Cum enim sensissent illi occurrere versus Saturnios, qui a norma sua aliquantum abluderent, erant qui versum tanquam Protea quendam *omnes duodecim pedes admittere* opinarentur, v. Mar. Victorin. III, 18, 8. p. 192. Gaisford., qui *inde apud omnes Grammaticos super hoc adhuc non parvam litem esse* affirmat. Adde Censorinum Fr. de Metr. II, 11. p. 407. Gaisf. Cum aliis a Graecis poetis originem versus repetens Atilius Fortunatianus I, 8. p. 323. *Nostri autem antiqui*, ait, *ut vere dicam quod apparet, usi sunt eo non observata lege nec uno genere custodito inter se versus; sed praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios breviores, alios longiores*

*inseruerunt.* Idem altero loco II, 27. p. 351. *Et hic versus obscurus quibusdam videtur, quia passim et sine cura homines eo utebantur.* Sed cum Atilius priore loco subiungat: *ut vix invenerim apud Naevium quos pro exemplo ponerem*, patet, satius esse, omnes istos nutus ad vulgarem versum Saturninm alligare et in eam sententiam discedere, ut Charisianae doctrinae ne obscuram quidem umbram in reliquorum decretis pellucere statuas.

Charisius autem cui doctrinam istam arcanam acceptam referat, vix coniectura assequi licebit. Non ipsius cerebello natam iuratus dixeris. Erat enim homo is, qui vix ipse supra vulgus sapere ausus aliorum bona in horrea sua congereret. Sic Iul. Modestum et Comminianum maxime sectatum esse constat.' Qui num de metris scripserint incompertum nobis. Possis de M. Ter. Varrone auctore eorum quae de versu Saturnio Charisius excerpsit cogitare. Certe Varronem, licet is fere aequalis fuerit Laevii, non dedecet haec eruditio, quae adeo non de trivio hausta est, ut vel libros sive ligneos seu linteos adierit. Nec magnopere reluctantur verba illa de Ling. Lat. VII, 36. Sed hoc vix explicari possit, quod is, cui permulta ita sunt communia cum Charisio, ut alter alterum compilasse planissime deprehandatur — nam uter utrum disceptant — Diomedes, nihil plane referat eorum, quae nunc Charisio debentur uni. Quo difficilius est Charisiani fragmenti nodos solvere, cum eo adminiculo carendum sit, quo in Grammaticorum potissimum operibus emaculandis paene semper magno cum emolumento utimur. Igitur iam Charisium frustillatim lustrabimus. Audendum enim est fortiter, vel non adiuvante Venere.

I. *De versu Saturnio. Sunt item Saturnii quinum denum et senum denum pedum, in quibus similiter novum genus pedum est et ipsum ametron. De quibus nihil praecipitur eoque nomen aptius quidem est.*

Locutus erat Grammaticus in iis quae perierunt de aliis versibus, in quibus *similiter novum genus pedum* esset. Quales illos versus dixerit ambiguum est. Conieceris asynartetos aut comicorum innumeros numeros. Illud autem genus pedum cum *et ipsum ametron* esse docet, occurrendum opinationi cuidam vanissimae videmus. Etenim cavendum est, ne quis sententiam Grammatici in eum intellectum prave deflectat, quasi versus illi omni numerorum arbitrio exuti licenter vagi fluitaverint. Secus esse fidem faciunt ipsa exempla politissimorum poetarum, quae statim post in versu Saturnio excitantur. Scilicet minus teretes aures Romanorum modulatio versuum ex diversis ordinibus artificiosius compositorum temere fallebat. Quid, quod ex Rufini Commentariolo de Metris Comicor. I, 30. p. 387. novimus

extitisse, *qui mensuram esse in fabulis, hoc est μέτρον, Terentii et Plauti ac ceterorum comicorum et tragicorum* prorsus negarent? Quem quidem ridiculum errorem castigat et Priscianus de vers. Comicor. p. 410. *Miror, quosdam vel abnegare, esse in Terentii comoediis metra, vel ea quasi arcana quaedam et ab omnibus doctis semota sibi solis esse cognita confirmare.* Vide Frid. Ritschelii *de Veteribus Plauti Interpretibus Disputationem* p. 4. Tam ineptulos magistros cum vel minus rara metra deceperint, quis mirabitur, Charisium et quos duces habuit, titubasse in diiudicandis lyricorum tragicorumque numeris paullo insolentioribus? Nam in Comicis Tragicisque universe metra esse et ipse cum prudentissimo quoque censuerat Charisius, teste Rufino, qui p. 379. Charisii sententiam de origine versus septenarii attulit, ductam illam a Varrone. Confer eundem p. 396. de metro Bacchico. Ipse Plautus, quem admiramur eximium fabrum versuum, non dubitavit in Epigrammate illo apud Gellium Noctt. Att. I, 24., quod apposuerat M. Ter. Varro in libro de poetis primo, profiteri:

Postquam morte datust Plautus, comoedia luget,
Scena est deserta, dein Risus, Ludu' Iocusque
*Et numeri innumeri* simul omnes collacrumarunt.

Nempe si cum versibus heroicis certo quodam in ipsa varietate tenore decurrentibus compararentur. Plautum imitatus Ausonius Edyll. IV, 48. Menandri fabulas commendans nepoti praecipit:

*Innumeros numeros* doctis accentibus effer.

Quod quale esset sensit Ios. Scaliger Ausonian. Lectt. II, 17. p. 190 *). Vel sic Plautinos cum salibus numeros Horatii proavis mirifice laudatos esse fatetur iniquus ille priorum poetarum censor et a Graecorum munditiis semotorum. Idem Horatius, qui in Archilochi epodis Aeolensiumque poetarum exiguis strophis Latio ostendendis acquiesceret, Pindaricum volatum reformidaret ipse, aliis dissua-

*) Dicit inter alia haec: *Intelligit solutos Comoediae versus, qui sunt quidem numeri; nam suis pedibus incedunt; sed non veri numeri, quia legibus soluti. Ita Horatius cum scribit* numerisque fertur Lege solutis, *intelligit haud dubie innumeros numeros Pindari. Eiusmodi autem est, imo liberior comica poesis. Quare et in Epitaphio Plauti per* innumeros numeros *Comoedia intelligitur. — Ausonius Menandri dramata* innumeros numeros *vocat, quod dictum est Graecanice, ut νύμφη ἄνυμφος, γάμος ἄγαμος.* Adde his quae Bergkius disputat Commentatt. de Reliq. Com. Att. Antiq. p. 147 sq.

deret, ipsum poetam Thebanum finxit per audaces dithyrambos *numeris ferri lege solutis.* Quod qui interpretationis lenociniis emolliunt, videant, ne dum a poeta suo errorem propulsant, eodem irretiantur ipsi. Quid apertius, quam ipsi vati Horatio visa esse liberiora metra Pindari omni vinculo legis exempta? Quem vel in incitatissimis dithyrambis modum tenuisse in confessis est. Nec negligenda nobis haec Marii Victorini similis vox I, 12, 9. p. 66. *Carmen lyricum cum metro subsistat, potest tamen videri extra legem metri esse, quia libero scribentis arbitrio per rhythmos exigitur.* De comicorum autem metris ipse Quintilianus, sobrius homo, sed qui antiquorum poetarum virtutes non aequa lance ponderaret, perverse iudicat Inst. Orat. X, 1, 99. *In comoedia maxime claudicamus, licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur; quae tamen in hoc genere sunt elegantissima; et plus adhuc habitura gratiae, si intra versus trimetros stetissent.* Ob cuius iudicii levitatem merito optimus vir vapulat Bentleio Schediasmate de metris Terent. p. IV. His satis cautum videtur, ne quis mentem Charisii in eam partem dehonestet, a qua supra dehortabamur. Versus esse Laevianos, Attianos, Ennianos non negavit, sed vera ratione eorum parum perspecta *novum genus pedum idque ametron* commentus est.

Pergit Charisius, *eo aptius esse nomen* Saturniorum. Nempe quam istorum versuum, qui, cum et ipsi genus pedum ametron haberent, tamen id non statim nomine ipso prae se ferrent. Vult enim, nisi fallimur, hoc, Saturniorum appellationem monstrare versus antiquissimos et rudes.

II. *Et solent esse summi pterygiorum senum denum, sequentes quinum denum, quales sunt pterygio Phoenicis Laevii* [*principio*] *primae odes Erotopaegnion.*

In his ut habeamus ubi pedem figamus, ante omnia de significatu vocis πτερύγιον quaeratur necesse est. Et omnem lapidem moventibus in mentem venere varia, sed quod plane satisfaceret nihil. Primum arripiebamus avem phoenicem — ad quam ipsa pterygii commemoratio vocabat —, cuius teste Herodoto II, 73. τὰ μὲν χρυσόκομα τῶν πτερῶν (πτερύγων boni libri), τὰ δὲ ἐρυθρά. Sed huic opinioni Charisii verba obstant, qui, si phoenicis πτερύγια in comparationem adhibere volebat, non poterat *quales sunt* scribere, de versibus locutus. Hac igitur sententia valere iussa devenimus ad Simiae aliorumque lusus Alexandrinorum, qui a versibus longiusculis orti paullatim numeros in varias species figuratos conciderent vel contra, qualia carmina extant Simiae ᾠόν, πέλεκυς eiusdemque πτέρυγες Ἔρωτος, v. Anth. Pal. XV, 24. Iacobs. Anthol. I, 2. p. 7.

Sed licet eiusmodi *πολύπλοκα μέτρα* a Laevii ingenio haud aliena dixeris, tamen vix reperimus, quo artificio *pterygiorum* vocem cum ista coniectura conciliemus. Nec quorsum verba *solent esse* spectent exputes. Restat igitur, si recte iudicamus, unum hoc, ut *πτερύγιον* terminum quendam technicum fuisse intelligamus, quo partes nescio quae carminum lyricorum ostendantur. Profecto mirum reliquorum magistrorum altum silentium. Varie quidem vis illius vocis tracta est, vide Hesychium s. v. *Πτερύγια· μέρος τὶ τοῦ ῥυμοῦ· καὶ τοῦ πνεύμονος τοῦ λοβοῦ τὰ ἄκρα· καὶ τοῦ ὠτὸς τὸ ἄνω· καὶ ξίφους τὰ ἑκατέρωθεν· ἢ τὰ ἄκρα τῶν ἱματίων.* Idem s. v. *Πτερύγιον· ἀκρωτήριον, πτέρυξ.* Rursus *Πτέρυγες· — μέρος χιτῶνος, τὰ περὶ τὰ κράσπεδα.* Vide Intpp. et h. l. et s. v. *Θετταλικαὶ πτέρυγες.* Quanquam si *πτερύγια* sonabant *τὰ ἄκρα*, rursus haec quae tandem dicantur, et ipsum tenebricosum est, cum praesertim *summi* et *sequentes pterygiorum* numero pedum distinguantur. Haec vix quisquam in clara luce ponat, nisi novi fontes aperiantur. Etenim in iis quae sciri nequeunt, tantundem sapimus omnes.

Sed si modo illa sententia aliquam speciem probabilitatis habet, deserenda videntur supplementa lacunae a Muellero ad marginem apographi nostri notata: *in pterygio phoenicis Lae[vius in principio pri]mae odes Erotopaegnion.* Aeque ambiguum est, num *principio primae odes* cum *pterygio* amice coeat. Quanquam cum *pterygii* significatio haudquaquam clareat, res in medio relinquenda est. Certius videtur affirmari posse, *primae* recte restitutum esse. Nam si aliud quodvis carmen citasset Grammaticus, praeter consuetudinem indicaturus erat ordinem, quem id in libro suo teneret. Primo loco posita carmina lyricorum poetarum saepius laudantur, ut Anacreontis. Nempe praestantia sua enitentia. Et fortasse Laevianus Phoenix propter singulare metri genus primarium locum sibi vindicaverat.

Est autem cur de Laevii loco ex tenebris protracto nobis gratulemur. Etenim poesis Laevianae ratio licet coniunctis multorum studiis et maxime industria et eruditione A. Weicherti — cuius *De Laevio poeta* commentationes recusae sunt in *Poetarum Latinorum Reliq.* p. 19—88. — clariore in luce posita sit, multa tamen supersunt, quae hodieque obscuriora esse fateare. Et Weichertus quidem p. 40. Laevianorum Erotopaegnion hanc fuisse descriptionem probabiliter disputat, ut singulus quisque illius operis liber syllogen breviorum complecteretur poematum, quae Laevius ipse, seu rerum tractatarum seu numerorum habita ratione, in unius corporis speciem coniuncta *libri* nomine in lucem edidisset.

Nunc cum Phoenix Laevii *oda* vocetur — et Gellius Alcestin *carmen* appellat —, carmina Laeviana apparet lyrica fuisse eaque variis modis deducta. Argumenta qualia fuerint cum ex fragmentis quodammodo auguramur, tum titulis carminum docemur. Novimus enim Adonidem, Alcestidem — quam Glumius de Eurip. Alcest. p. 35. comoediam fuisse perperam statuit —, Centauros, fortasse Ino, Sirena; certo Laodamiam, Protesilaum et Protesilaodamiam, de quarum inscriptionum vi quaesivit Weichertus p. 80 sq. Sed cum praeter Charisium scriptores Laevii carmina ita citent, ut aut nullam omnino operis Erotopaegnion singulive carminis notationem addant, aut solo Erotopaegnion nomine contenti sint, aut denique unum carminis titulum ascribant omissa Erotopaegnion mentione: bene factum, quod Charisius *Phoenicis* appellationem cum *Erotopaegnion* commemoratione copulavit. Aegre desideramus libri assignificationem. Nec ea in lacuna intercidisse videtur. Quid si omnis liber *Phoenix*, singula autem carmina *odae* vocabantur? Compara quae Weichertus p. 52 sq. de *Centaurorum* titulo exposuit. In hanc sententiam si tutum esset se conferre, forsitan patesceret, qua ratione *pterygii* nomen cum *principio primae odes* iungi potuerit. Sed fallax hic campus et incertus.

Laevium eximium diversorum metrorum artificem fuisse ex reliquiis carminum quantumvis paucis intelligimus. Veluti Erotopaegnion complura carmina dimetros iambicos habuerunt, ut fr. I. p. 43. Weichert., fr. III, p. 49., fr. IV, p. 45., fr. X, p. 76., fr. XIII, p. 79. cett.; sed iambicum trimetrum clodum monstrat fr. IX, p. 73., trimetros dactylicos, ut videtur, fr. VII, p. 48., anapaesticos dimetros Alcestidis fragmentum p. 56. et fr. III, p. 44.; Glyconei sunt fr. inc. I, p. 49. Supersunt refractarii quidam versus, quos artificiosiores numeros habuisse Charisii monitis arrecti haud temere credimus *).

*) Addemus per hanc opportunitatem fragmentis a Weicherto collectis locum Laevii, qui non est ab hac quaestione alienus. Atil. Fortunat. I, 4, 16. p. 319. *Reliqua pars hendecasyllabi* Lepidum *novum libellum Anacreonteon facit metron, octo syllabarum iambicum ab anapaesto incipiens, quale est illud apud* Lepidum:

*Mea Vatiena amabo.*

Revocandum esse *Laevium* in *Lepidi* locum, quod fugit vel Bergkium testimonio Grammatici nulla mendi suspicione usum Anacreontis Reliq. p. 49., arguit alter Atilii locus I, 4, 18. p. 320. *Ut si facias illud ex* Lepidiano *metro ad hanc legem*:

*Mea Vatiena amabo, mea cura, mea Venus,*

Sed nihil cum Charisiana memoria coniunctius quam testimonium Prisciani VI, p. 712., qui haec habet: *Laevius in Polymetris:*

*Omnes sunt denis syllabis versi.*

Hoc carmen Osannus Anall. p. 59. lyrici generis fuisse suspicatur, odarum syllogen fortasse complexum, ex cuius prooemio haec sumpta sint. Ad Erotopaegnion corpus recte, ut putamus, rettulit Weichertus p. 62. Nos hoc maxime iuvat, quod Laevium videmus ipsum de metris suis haudquaquam tritis et communibus principio carminis lectores admonuisse. Laevius autem cum expeditum numerorum cursum difficilioribus metris et quasi confragosis tardasset idemque sermonem ascivisset, qui robiginem antiquitatis tenaciter conservaret, promptam explicationem habet, cur carmina ipsius Graeculis A. Gellii paullo delicatioribus et qui Anacreontis *fluentibus deliciis* assuevissent, *implicata*, h. e. asperiora et Graiae spiritu Camenae carentia, videri potuerint, v. Noctt. Att. XIX, 9. Adde memorabile testimonium Porphyrionis in Horat. Carmm. III, 1, 2. *Laevius Lyrica ante Horatium scripsit, sed videntur non illa Graecorum lege ad lyricum characterem exacta. Rudem* appellat incertus Grammaticus in Eichenfeld. et Endlicher. Anall. p. 185. *Lectum est meminens, sed apud rudem*, h. e. Laevium fr. Erotop. III, p. 44. Quid quod Laevius id ipse sensisse videtur? Nam cum in versu apud Festum p. 270, 20. Mueller. dicit:

*Scabra in legendo reduviosave offendens*,

non improbabilis est peracuta G. I. Vossii suspicio, poetam suametipsius vitia vel amico vel lectoribus in introitu alicuius libri carminisve excusasse, v. Weichert. p. 73 sq.

---

ubi codex *leviano*. Notavimus in censura libri Gaisfordiani *Nunc. Litt. Gotting. 1839, 92. p. 915.* — Contra eximenda ex Weicherti sylloga cum alia quaedam, tum fr. III, p. 59. Nam Fulgentii vulgata scriptura *Ennius Celestide comoedia* neque Laevio neque Alcestidi magnopere favet. Quare nec cum Weicherto, Hermannoque Praef. Alcest p. XVIII. de Laevio cogitemus, neque cum Glumio de Alcest. p. 36. de Enniana, si dis placet, comoedia Alcestide. Ennii quidem nomen constanter servant codices. Inspeximus duos in bibliotheca Wolfenbuttelana: quorum alter saec. X. habet: *Ennius in Telestide comoedia*; alter saec. XV. *Ennius in Thelestide comedia.* — Sed a vero aberravit G. Bernhardy Hist. Litt. Rom. p. 201., cum versus senarios luculentissimos, quos tanquam ex Terentilla Naevii citant Nonius et Isidorus, emendatius scriptos illos ab A. Meinekio in Menandri Reliq. p. 75., Laevio tribuendos coniicit. Ex comoedia aliqua esse non potest ambigi.

Redeundum est ad Phoenicem. Quod carmen quale tractaverit argumentum vix potest anceps esse iudicium. Etenim si reliqua omnia, quorum paullo testatior extat memoria, Erotopaegnion carmina in argumentis amatoriis constiterunt, quae ex historia fabulari repetita more poetarum Alexandrinorum varie exornata essent, nec Phoenicis nomen aliorsum spectare tuto censebimus. Quod carmen ex ipsius Amyntoridae narratione quae est Homer. Iliad. I, 448 sqq. materiem sumpsisse certum videtur. Poetae tragici idem argumentum pertractaverant Io Chius, v. Nieberding. Frr. Iouis p. 33 sqq., Euripides, et ex Romanis Ennius. Qui omnes Homericam narrationem de amore Phoenicis in pellicem, cui se instigante matre *) indulsisse non negat Homericus Phoenix, ita deseruerant, ut Phoenix alter quidam Hippolytus celebraretur. Sic Euripides *ἀναμάρτητον εἰσάγει τὸν Φοίνικα*, v. Scholl. Homeri l. c. et Apollod. III, 13, 8. et confer Valckenarii Diatrib. cap. XXIV. p. 262 sqq. Matthiae Frr. Eurip. IX, p. 289. et Welckerum de Tragoed. II, p. 803 sqq. Quos imitatus Laevius descripserit artes pellicis castum iuvenem frustra tentantis, post apud patrem Amyntorem scelest criminatae, quasi ipse se corrumpere conatus esset. Sequitur, ut hinc colligamus, verba Laevii a Charisio apposita proloqui pellicem, quae Veneri, dominae suae ac magistrae, diem plenum hilarulum se dicaturam polliceatur. En ipsa verba:

*Venus, amoris altrix, genetrix cupiditatis, in quam diem plenum hilarulum*
*† praepundere fas est opitulae tuae ac ministrae.*

⏔́ ⏑ – ⏑ –́ –́ ⏔́ – ⏔́ ⏑ – ⏑ – –́ ⏑ – – ⏔́ ⏑ – † –́ –́ ⏑ ⏑ – – ⏔́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – –

Sic, etiamsi quaedam nostros emendandi conatus respuerunt, sedecim pedes, ex Grammaticorum quidem mente, emergunt. Absque Charisio esset, quis non haec in exigua frustula dissecaret, talia:

–́ ⏑ – ⏑ – – ‖ –́ – – ⏑ – ⏓ ‖
– –́ ⏑ – – –́ ⏑ ⏓ ‖ † – –́ ⏑ ⏑ – –́ ‖ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ – –

Quod in codice scriptum est *praepundere*, qua id medela ad reliqui sermonis concinnitatem retrahas vix inveneris. Nam quae sponte cuivis occursant *prae pondere*, *praependere*, *prae pudore* non quadrant. Nisi forte *profundere* latet.

---

*) Male de heroe Homerico solliciti Sosiphanes et Aristodemus versum 453. ita depravabant, ut inculcarent negationem:

*Τῇ οὐ πιθόμην οὐδ' ἔρξα.*

Scilicet ne Homeri narratio a tragicorum poetarum dissonaret.

Statim post inter *fas est* et *sese est* dubius haereas. Certum est quod Muelleaus in margine reposuit *opitulae*. Paulus Festi p. 184, 11. *Opitulus Iuppiter et Opitulator dictus est, quasi opis lator.* Denique deminutivum illud *hilarulum* prodit Laevii delicias, quarum amor cum Catullo Plautoque ei communis. Compares fr. IV. p. 44. *manu lascivula ac tenellula*; fr. III. p. 49. *Trochiscili, radiculae*; fr. II. p. 54. *tardingemulo senio*; *manciolis* vel *maniculis* tenellis p. 58; *miserulo obito* fr. XI. p. 78. Quanquam id ipsum vocabulum quo de loquimur, nec Cicero repudiavit ad Att. XVI, 11. *Atticae quoniam hilarula est*; *savium des.* Ut in familiari sermone.

Grammaticus cum de Saturniis quinum denum senumve denum pedum praecipiat, rationi congruum est statuere, allata esse ex eodem poeta diversae mensurae exempla. In ea sententia facile confirmamur eo, quod quae sequuntur nullo cum praegressis vinculo cohaerere patet. Quae fortasse sic sunt scribenda:

*Tametsi neutiquam quid foret ex pavida gravi dura fera asperaque famula*
*potui de domino accipere superbo.*

⏑ ×̲ – –́ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – – –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑⏑́ ⏑ – –

Si haec rectis incedunt talis, pellicem et ipsam haec proloqui tibi persuadeas, quae ex ancilla pavida et immiti de superbi Phoenicis in se animo nihil satis certi extorquere potuisse conqueratur. Notabilis est cumulatio illa in animo graviter commoto *pavida*, *gravi*, *dura*, *fera asperaque*. Ita solent et alii vetustiores poetae Romani et Plautus saepenumero. Ceterum similem numerorum complexum habet Sophocles Philoct. 206.:

Βάλλει, βάλλει μ' ἐτύμα φθογγά τοῦ στίβου κατ' ἀνάγκαν ἕρποντος
οὐδέ με λάθει βαρεῖα τηλόθεν αὐδά.

Festinamus ad Attium. Charisius haec fere reliquerat:

III. *Aut quales in tragoediis nonnunquam incidere veteribus solent, ut Ennii Attiique, de quibus aeque nihil sane praecipitur. Attii ex Epigonis: Quid istoc gnata † unicli est demum . . cel br . . . . prome . . . to expete . . timida me tecto excies. Vel hic alius: Sed iam Amphilochum huc vadere cerno et nobis datur bona pausa loquendi in tempus . . . . . .*
*. . . . . . obviam.*

Nimis ulcerosa sunt prioris versus Attiani membra, quam quae satis facilem medelam recipiant. Universe sententia loci manifesta est. Quanquam si verba

*gnata* et *timida* recte haberent, de patre aliquo filiam suam compellante sermo esset. Scimus autem, Attii fabulam de cognomine Sophoclis expressam fuisse, auctore Cicerone Opt. Gen. Or. VI. Unde profectus Welckerus noster, quem honoris caussa nominamus, in praeclaro opere, quo omnium fabularum tragicarum argumenta felicissime adumbravit, I, p. 269 sqq., comparatis utriusque poetae fragmentis fabularum, quarum alterum fuisse titulum *Eriphyle* fuisse commode statuit, in his tragoediis necem matris Eriphylae a filio Alcmaeone ex mandatis patris suasuque et hortatu Apollinis Delphici perpetratae fuisse repraesentatam defendit. Haec si vera sunt, quis tandem natam suam per illius fabulae decursum alloqui potuerit, aegre efficias. Quare, donec meliora doceantur, vitiosam loci scripturam ita emendamus:

*Quid istoc, gnate mi . . . . . . . . . . . timidam me tecto excies.*

Ut haec verba redeant ad Eriphylam ab Alcmaeone foras vocatam. Alcmaeonem cum matre altercantem introduxerat Sophocles, v. Welcker. l. c. p. 275. Haec si concesseris, habebimus quo referamus Attianae fabulae fragmentum 10. apud Bothium, servatum id a Nonio s. v. *expectorare* p. 16, 5. Mercer. *Attius Epigono:*

*Eloquere propere ac pavorem hunc meum expectora.*

Quae Eriphyla Charisianis illis in summo pavore effusis statim subiungere potuerit. Paullo aliter Welckerus p. 273., qui Alcmaeonis verba ad Amphilochum sibi agnoscere videbatur. Erit qui litterarum lacinias apud Charisium maximeque illud *expete* ipsum illum versum monstrare coniectet. Sed etiamsi scriptura codicis difficillima hic illic mire depravata est, veluti statim post quod *pausa* esse debebat, *parsi* scriptum est, hanc tamen legem sanciamus, ne quis aleam coniecturalem audacius ludat. Quid in lacuna scriptum fuerit, Oedipus aliquis coniectet. Hoc videmus, versum Attii pariter ac Laevii alterum ingressum habuisse a basi cum anacrusi, eundemque logaoedicis numeris fuisse terminatum.

Tandem aliquando in locum planiorem enisi sumus, sed ut rursus dubitationum quasi fluctus oboriantur. Leviter corrupta sunt priora alterius exempli, facile illa Noniani testimonii auxilio redintegranda; novissima vel plane desperata vel dubia. Quae nos eruere potuimus, haec sunt:

*Sed iam Amphilochum huc vadere cerno et nobis datur bona pausa*
*loquendi in tempus . . . . . . . . . . obviam.*

— —́ ◡◡ — —́ ◡◡ — x̄ — x̄ ◡ —́ ◡◡ — ◡◡ — — —́ ◡́ . . . . . . . — ◡ ⏓

Nonius p. 158, 6. *Pausa est quies alicuius rei. Attius Epigono:*

*Sed iam Amphilochum huc vadere cerno et nobis datur bona pausa loquendi.*

Quos numeros, nisi nunc a Charisio admoniti essemus, anapaestos logaoedicos esse crederemus Nam eorum, qui Fragmenta veterum poetarum scenicorum collegerunt, licentia in his quoque ita grassata est, vix ut irae temperes. Ita enim transposuerunt:

*Sed iam Amphilochum huc vadere*
*Cerno et loquendi pausa bona nobis datur.*

Quae temeritas tam altas radices egit, ut Bothius, cui est fr. 3. p. 199., ne verbo quidem veteris scripturae diversitatem commemoraverit. Adeo induhitabilis illa lubido visa. Omnino, dicendum enim est, saepe facit indignationem audacia hominum doctorum incredibilis plane, qua Latinorum poetarum frustula in ordinem scilicet cogunt.

Ceterum Welckerus p. 273. Alcmaeonem in illa verba erumpentem facit, cum is de interimenda matre dubius fratrem Amphilochum, tanquam Orestes Pyladen suum, appropinquantem conspexisset.

His utcunque profligatis ad ultima progredimur, quibus originationem nominis Saturniorum ex diversorum Grammaticorum sententiis complexus est Charisius. Resident in verbis ipsis naevi quidam: mentem scriptoris nobis videmur percepisse. Scripsit igitur Charisius, in quantum nos intelligimus, haec:

IV. *Hos Saturnios nonnulli vocatos existimant, vel quod eius temporis imperiti adhuc mortales huiusmodi versus eus vide . . santur* (Saturnus? saturas?) *suas (?) . . . . . . . clusissent, vel quibus (?) † primo tempore in odale . . . cis solemnibus diebus cecinisset, vel quod eodem defuncto ἀποθέωσις hac dictione sit celebrata, cuius exemplum adhuc ligneis libris reperitur.*

Inter tres Grammaticus, si recte sentimus, Saturniorum originationes optionem dat. Aut enim inde nomen accepisse, quod pristini mortales et Saturno rege nati huiusmodi versus condita post frumenta lusibus dediti his vocibus cluserint: *Saturnie, Saturne;* aut quod ipse Saturnus festis diebus talia cecinerit; aut denique quod eodem defuncto et in coetum deorum ascito ἀποθέωσις hac dictione sit celebrata. In altera originatione fortasse licet ulterius progressis mentem Charisii accuratius definire. Mirum enim, ni haec litterarum elementa: *in odal . . . . . cis* ad *Opalia*

ducant. Quae sollemnia in honorem Opis, coniugis Saturni, instituta celebrabantur tertio die Saturnalium, vid. Macrob. Saturn. I, 10., coll. Varr. de Ling. Lat. VI, 22. p. 82. et Hartung. de relig. Roman. II, p. 125. Poterat igitur sic fere scriptum esse: *vel quod Saturnus primo tempore in Opalibus, coniugis sollemnibus diebus, cecinisset.*

Rursus in his Charisius a reliquorum Grammaticorum narrationibus mirifice recedit. Festus p. 325, 10. Mueller. *Versus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus videtur, Saturnii appellantur.* Mar. Victorin. III, 18, 1. p. 190. *Huic versui prisca apud Latium aetas tanquam Italo et indigenae Saturnio sive Faunio nomen dedit*, cll. Atil. Fortunat. I, 8. p. 323. Idem Atilius II, 27. p. 331. *Saturnio metro primum in Italia usi, dictum autem a Saturnia urbe vetustissima Italiae.* Idem II, 7, 2. p. 338. *Aut* (sumunt nomina) *a tempore, ut Saturnii, quod eo tempore primum in Italia usurpati sunt, quo Saturnia urbs erat.* Diomedes III, 34, 37. p. 495. *Saturnium in honorem dei Naevius invenit.* Acro in Horat. Epp. II, 1, 158. *Saturnio metro usi sunt veteres Latini sub rege Saturno et postea longo tempore.* Aurelius Victor Orig. Urb. Rom. IV. *Hoc genus metri in vaticinatione Saturniae primum proditum est. Eius rei Ennius testis est, cum ait: Versibu', quos* et q. s. r.

Ut Charisii sententias singulatim expendamus, primae suus esset honos, si de veritate istius ephymnii constaret. In comparationem cum alia affluunt, tum Graecorum Ἰόβακχος, Ὑμέναιος, Αἴλινος, Οἰτόλινος, similia, quae nomina carminum ab ephymniis sunt orta. Altera originatio non est incognita Graecis, ut carmina in dei alicuius honorem inde dicta affirmentur, quod ipse deus primus talia cecinisset, veluti Apollo Paeanem. In tertia, qua inter deos relatus Saturnus versibus Saturniis celebratus dicitur, maxime animum advertunt ultima: *cuius* (dictionis) *exemplum adhuc ligneis libris reperitur.* Libros *ligneos* qui commemoret aeque ignorare fatemur atque illud, quales eos nobis mente informemus fuisse. Contra in ore omnium sunt libri *lintei*, de quibus ex Livio satis constat. Nisi quis ad custodiendam manum librarii auxilium petet ex Plinii testimonio Nat. Hist. XIII, 11, 21. *In palmarum foliis primo scriptitatum, deinde quarundam arborum libris; postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox et privata linteis confici coepta aut ceris.* Quanquam quos Livius ex Tuberone et Macro Licinio, a quibus erant inspecti, in subsidium vocat linteos libros, ad Monetae servatos, magistratuum exhibuisse annales videntur, cfr. Liv. IV, 7. 13. 20. 23., Wachs-

muth. Hist. Rom. vetust. p. 11 sq., Frid. Lachmann. de Fontt. Liv. I p. 12 sq. et Krausium Vitt. et Fragmm. Vett. Hist. Rom. p. 25 sq. Verum ex eodem Livio cognoscimus libros linteos apud Samnites, qui, cum res sacras continuerint, Charisianae memoriae succinunt. Narrat X, 38., ad bellum Romanis inferendum exercitum Samnitium omnem ad Aquiloniam esse indictum; adhibitas esse Deorum etiam opes, ritu quodam sacramenti vetusti quasi initiatis militibus. Pergit: *Ex libro vetere linteo lecto sacrificatum, sacerdote Ovio Paccio quodam, homine magno natu, qui se id sacrum petere affirmabat ex vetusta Samnitium religione.* Praeterea carmina Sibyllina linteis textis perscripta fuisse auctor est Symmachus Epistt. IV, 34. —

His si quis meliora, certiora, ad persuadendum aptiora in medium attulerit, ei vel felicitatem suam gratulabimur, vel ingenio doctrinaeque fasces summittemus. Nos tantum abest ut nobis valde blandiamur, ut confiteamur ultro, multa nos falsa protulisse, perpauca vera, plura veris non absimilia. Nimirum et nos, gens philologorum, litterarum qui columen cluemus,

ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Apographum C. C. Muelleri

25

Liber Iacti Columbani.

De Saturnio. Et item saturnii qui in denum e . . . ndeni . . .
pedum in quibus simpliciter novum genus pedum et tempora cum . . .
decasib: h . . . pes nomine aptior quidem et . . . dent cum summum p
ptlr yzionum senum denum . . . quinum denum quales et
pter yzio phoenicis le . . . . . . . . . primi . . . . . . [illegible]
. . . amor . . . genetrix cupiditatis in qua diem . . . . . .
rulu . . . . . . appetulae tuae . . . . . .
Tum et . . . quam quid foret ex . . . . . .
a . . . que famultar . . . dominio . . . superbo
ut quales intra . . . . . . solent ut . . .
. . . de quibus . . . fune . . . . . .
quidistot grata . . . demum . . . . . . . . . to
expecte . . . . . . texto . . . vel hic alius. sed iam a . . .
. . . nobis . . . . . .
in . . . ovid . . . in nulli . . .
. . . tempore . . . adhuc mortales
. . . . . . . . .
. . . . . .

. . .
. . . primo tempore in . . . . . .
dicta . . . que eadem . . . . . .
hac dictione fit . . . exemplum . . . . . .
. . .

. . .
. . . et
. . .